

» gotiatoribus, non in pecunia usuram exigunt, sed de mercibus eorum tanquam usuram emolumenta percipiunt; *fraus ista circumscriptio legis est, non custodia,* et putas te pie facere quia a negotiatore velut munus suscipis?... Quodcumque sorti accedit usura est; quod velis ei nomen imponas, usura est. » Ergo non licet plus quam sortem exigere etiam a negotiatoribus.

S. Augustinus, Serm. 3, in Psalm. xxxvi, n. 6, in illa verba ꝑ. 26..... tota die miseretur et commodat, dicit: « Nolo sitis feneratores, et ideo nolo quia Deus non vult; nam si ego nolo et Deus vult, agite: si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret qui ageret... Si feneraveris homini, id est, mutuam pecuniam dediris, a quo aliquid plus quam dedisti exspectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus quam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus quam dedisti exspectes accipere, fenerator es, et in hoc improbandus, non laudandus. » Videtur quid sit usura, et quod Deus illam prohibeat.

S. Hieronymus eamdem luculentissime explicat doctrinam, in cap. xviii Ezechielis, et in hæc verba, Ps. lxx, non defecit de plateis ejus usura et dolus, ait: « Omnia quæ in lege prohibita sunt ad augendi peccati cumulum exercuerunt: in lege enim usuræ accipi prohibentur; usura autem est plus accipere quam dare. »

Qui alia prope infinita, nec minus clara, conciliorum et Patrum testimonia inspicere ac perpendere voluerit, adeat opus dictum: *Dogma Ecclesiæ circa usuram, 1 v. in-4°, vel Tractatum de Usura et Fenore, a Jacobo Gaïtte, 1 vol. in-4°.*

Sic autem compendiose ostendi potest SS. Patres usuram tanquam absolute malam reprobare: 1º Arguunt ex Lege veteri, quam in nova Lege sub eo respectu subsistere dicunt: porro Lex vetus usuram prohibet ut malam. 2º Arguunt ex injustitia intrinseca usuræ. 3º Rationem deducunt ex sterilitate pecuniæ, quæ certe pro omnibus ejusdem est naturæ. 4º Pluries contra se excitaverunt

omnium querelas, quia usurarios indiscriminatim damnabant. 5º Pluries tandem reprobaverunt usuras etiam a divitibus perceptas.

Ex tot et adeo claris testimonii videtur quam temere ac falso nonnulli asserant opinionem nostram, ut aiunt, in duodecimo tantum sæculo, vel a *Scoto* vel a S. Thoma excogitatam fuisse.

QUARTO. — *Argumentum ex decretis summorum Pontificum.*

Alexander III, Decret. l. 5, tit. 19, *de Usuris*, cap. 4, ab archiepiscopo Panormitanus interrogatus an usuram exercere liceret ad redimendos captivos, sic respondet: « Super eo vero respondemus quod, cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam fieri posse non videmus; quia cum Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendum est ne quis, etiam pro redimenta vita captivi, usurarum criminis involvatur. »

Urbanus II, Decretal. l. 5, tit. 19, *de Usuris*, cap. 10, a quodam Brixensi presbytero consultus, 1º utrum qui, nullo inito pacto, mutuum tamen ea mente dedit ut plus sorte reciperet, in periculo versetur salutis, et usurarius censeri debeat; 2º an eodem modo condemnandus sit negotiator qui merces suas multo carius vendit ob solutionis dilationem, respondit: « Quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio S. Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur: *Date mutuum, nihil inde sperantes;* hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent (cum omnis usura et superabundantia prohibetur in lege), judicandi sunt male agere, et ad ea quæ taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi. » Ex his Alexandri et Urbani VIII responsis constat 1º usuram lege divina Veteris et Novi Testamenti esse prohibitam; 2º ex natura sua malam esse sicut mendacium; 3º vitium illius in eo consistere quod aliquid supra sortem exigatur.

Multa alia summorum Pontificum decreta æque valida apud autores jam citatos legi possunt. Sed locum cunctorum Pontificum qui citari possent abunde tenebit doctissimus ac illustrissimus *Benedictus XIV.* Sic enim se habet in exquisito et ubique notissimo opere, de Synodo diocesana, lib. 10, c. 4, n. 2 : « Omne lucrum ex mutuo, præcise ratione mutui, uti loquuntur theologi, hoc est, lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico illicitum esse perpetua fuit et est catholicæ Ecclesiae doctrina, omnium conciliorum, Patrum et theologorum unanini consensione firmata. Huic contradixere Graeci schismatici.... » Varias postea recenset hæreticorum opiniones, *Calvini, Molinæi, Salmasii*, prout eas exposuimus, deinde ait :

Nº 3 : « Impiæ Calvini et Molinæi opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici. Distinguunt et isti duplex genus mutui : unum quo pecunia aliave res datur ad consumptionem, quod plerumque sit cum indigentibus pecuniam mutuam accipientibus, ut se suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant, etc. Alterum quo datur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent ingensque ex ea lucrum reportant. In primo casu, usuram esse fatentur quidquid exigitur ultra sortem. At a senoris labe excusant lucrum quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriæ legibus definitum. »

Nº 4 : « Novam hanc distinctionem ab hæreticis primum excoxitatam præverterant Ecclesiae Patres, qui uno ore, absolute atque indefinite feneratium pronuntiaverant quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur. » Hie citat *Tertull.*, *S. Basil.*, *S. Ambros.*, *S. Hieronym.*, *S. Aug.* aliasque auctoritates, deinde pergit,

Nº 5 : « Neque vero Calvini et Molinæi asseclis suffragantur aut loca Scripturæ speciatim prohibentia ne pauperes usuram opprimantur, uti Exodi xxii, 25, etc.,

» aut sententia Patrum usuras duntaxat redarguentium immoderatas, aut canones conciliorum, puta 17 Nicænus, etc., solos clericos feneratores severis poenis subiectantes. Etenim antiqui Testamenti pagina in ipsismet in contrarium adductis locis, et adhuc clarius Deuteronom. xxiii, 29, Ezech. xviii et Ps. xiv, omnem omnino usuram, absque ullo personarum a quibus exigitur dis crimine, prohibet et detestatur. Pauperes autem alii cubi expresse nominat vel tantum exempli causa, quia plerumque contingit ut illi magis egeant opis alienæ, et necessitate adacti mutuum accipiant etiam sub obligatione immoderatum fenus solvendi, quemadmodum ad prædictum Exodi caput annotavit etiam *Hugo Grotius*, vel quia usura quæ a pauperibus extorquentur, præter propriam pravitatem, quamdam redolent sævitiam et inumanitatem, speciali nota et reprehensione dignam. »

Nº 6 : « In novo autem Testamento, Luc. vi, illis Christi Domini verbis, *Mutuum date, nihil inde sperantes*, præceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum inculcari nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo, sive paupere, sive divite, exigendi, non solum docet S. Thomas, 22, q. 78, art. 1 ad 4, sed concors fuit concilio rum, Patrum summorumque Pontificum sententia, præcipue Urbani III, in cap. *Consuluit de usuris*, qui præfati textus auctoritate omnem quantumvis minimam usuram universim vetitam pronuntiavit; explicans enim præfata Christi Domini verba, iis prohiberi ait omnem usuram et superabundantiam. Dicere autem summos Pontifices et concilia prædicti textus verum et genuinum sensum non esse assecuta, quod aliquos mussitare non puduit, et temerarium et fere hæreticum est. Quidquid enim sit, an Ecclesia non solum infallibili polleat auctoritate in definiendis quæstionibus fidei mores respicientibus, quod nullus catholicorum negat, sed etiam in delectu rationum quas ad suas definitiones stabilendas interdum adducit, de quo nonnulli catholici dubitaverunt, certum et indubitatum est eam errare

» non posse in interpretanda divina Scriptura, ejusdem
» genuino sensu fidelibus aperiendo. »

Nº 7: « Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum.
» Hi siquidem, licet vehementius invehantur in usuras im-
» moderatas atque a pauperibus extortas, veluti culmen
» sceleris ad quod homines pertrahit sordida atque insa-
» tiabilis avaritia, non illicito tamen approbant modera-
» tas a divitibus exigendas: quinimo etiam istas aliis in
» locis expresse condemnant. » Tunc diversos refert textus
Patrum.

Nº 8: « Ad canones quod attinet, si argumentum quod
» ex illis instaurant quidquam haberet roboris et efficaci-
» tatis, probaret etiam fornicationes et adulteria esse lai-
» cis permissa, quia plerique canones in solos clericos for-
» nicarios et adulteros, nulla facta laicorum mentione,
» animadvertisunt; quæ sane argumentatio inepta et ridicula
» foret.... »

Nº 9: « Jure itaque ac merito auctores permittentes
» moderatum lucrum ex mutuo a divite et negotiatore exi-
» gere, veluti adversantes communi et perpetuae Ecclesiæ
» catholicae doctrinæ, inclamarunt et validissimis argu-
» mentis confutarunt Navarrus, Gibalinus, Leotardus,
» card. de Lugo, Jacobus Gaitte, etc. »

Nº 10: « Verum, quoniam tot doctorum auctoritate et
» argumentis minime perterriti, prædictam exoticam opi-
» nionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, prop-
» terea nos, ad Petri cathedralm evecti, ne catholicæ
» doctrinæ puritas, cuius depositum nobis est a Christo
» concreditum, hac erroris labe feedaretur, datis ad Italiam
» episcopos encyclicis sub die prima nov. 1745, hæc inter
» cætera declaravimus: primo, omne lucrum ex mutuo
» ratione mutui usurarium et illicitum esse; secundo, ad
» usuræ labem purgandam nullum accersiri posse subsi-
» dium, vel ex eo quod in lucrum non excessivum et ni-
» mium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit;
» vel ex eo quod is a quo id lucrum solius mutui causa
» depositur, non pauper, sed dives existat: nec datam
» sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas

» suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel
» questuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus;
» tertio, quanquam una cum mutui contractu possint
» quandoque alii tituli, ut aiunt, forte concurrere, ipsi
» mutuo extrinseci, a quibus justa oriatur causa aliquid
» ultra sortem ex mutuo debitam exigendi, attamen falso
» et temere affirmari diximus hujusmodi titulos semper
» reperiri; ac ubique præsto esse, ita ut illorum ratione,
» quotiescumque pecunia, frumentum aliudve id generis
» alteri cuicumque creditur, toties semper liceat aucta-
» rium moderatum ultra sortem integrum salvamque re-
» cipere. »

Longum hunc doctissimi Pontificis textum integrum re-
ferendum duximus, quia in præsenti materia gravissimi
est ponderis, et non multi eximium opus ex quo illum de-
cerpsimus possident.

Ex ultimo autem numero, summus Pontifex Benedic-
tus XIV epistolam encyclicam, 1 nov. 1745, *Vix pervenit*,
dedit tanquam princeps et caput Ecclesiæ, nos ad Petri
cathedralm evecti; eam dedit ad doctrinam catholicam ex-
plicandam et conservandam, *ne catholicæ doctrinæ puritas*
scedaretur; eam direxit ad universos Italiam archiepiscopos,
episcopos et ordinarios; cunctis orbis universi episcopis
nota fuit, et nullus reclamavit: atqui nullus vere catholicus
contra talēm summi Pontificis sententiam ita ratam et
approbatam tuta conscientia insurgere potest: ergo.

D. d'Avau du Bois-de-Sanzay, vir valde commendabili,
primo Viennensis, postea Burdigalensis archiepisco-
pus, tempore revolutionis nostræ Gallicanæ scripsit ad
summum pontificem Pium VII, illique exposuit varieta-
tem opinionum casuistarum circa usuram, quæ varietas
major adhuc esse debebat post Conventus nationalis de-
cretum, quo stipulatio lucri ex mutua pecunia permitte-
batur: a Sua Sanctitate requirebat quomodo sacerdotes
in Galliam mox reversuri, se gerere deberent erga suos
pœnitentes, sive anxietates suas aperirent, sive nihil dice-
rent, utrum scilicet eos interrogare oportet. Sequens
accepit responsum a card. Zelada, 12 augusti an. 1795:

« SS. Dominus noster Pius, divina Providentia papa sextus, de consilio selectæ cardinalium Congregationis, quoad primam partem dubii, rescribendum esse mandavit servandam esse constitutionem Benedicti XIV, cuius initium *Vix pervenit*, diei 1 novemb. an 1745, § 3, n. 2. »

Quoad vero secundam partem dubii, rescribendum esse mandavit servandam esse epistolam encyclicam Benedicti XIV ad omnes patriarchas, archiepiscopos et episcopos, diei 26 junii an. 1749, § 19 et 20. »

Quid autem in constitutione *Vix pervenit* fuerit definitum, jam vidimus; in epistola vero encyclica 26 junii 1749, ad præparationem Jubilæi data, Benedictus XIV docet confessarios penitentes suos interrogare debere quoties judicant eos peccata sua non recte confiteri: ergo interrogandi sunt etiam circa usuram, nisi forte in ignorantia invincibili constituentur, et nulla ex monitis futura prævideatur emendatio.

Theologi legationis Apostolicæ, Parisiis anno 1802 degentes, a pluribus quos novimus sacerdotibus interrogati, eodem sensu responderunt; sicque ipse legatus Caprara eidam Valentino rescrispsit, anno 1804; sic et nobis respondit sacra Pœnitentiaria anno 1815. Cunctis hac de re consultationibus semper respondetur per constitutionem Benedicti XIV *Vix pervenit*. Ergo. Vide dissertationem circa usuram D. Pagès, edit. anni 1826, et opus D. Bouyon, dictum: *Examen du système de feu Mgr. le card. de la Luzerne, sur le prêt de commerce.*

QUINTO.—*Argumentum ex unanimi doctorum consensu.*

Longam hic non texemus seriem doctorum qui sententiam nostram tenuerunt, nec ullum speciatim referemus. Unicum validissimum nobis sufficit sequens argumentum: fatentibus nostris adversariis, a S. Thoma usque ad nos universi scholæ principes ac magistri constanter docuerunt omnem usuram, prout eam definivimus, jure naturali, divino et ecclesiastico esse prohibitam: quod sic exprimit

card. de la Luzerne: « Il est certain que depuis le 13^e siècle on a regardé tout intérêt perçu en vertu du *mutuum* comme usure; que l'unanimité des théologiens l'a condamné sans distinction d'usure oppressive et non oppressive; que le nombre des docteurs catholiques qui ont voulu faire cette distinction est trop peu considérable pour rompre l'unanimité. »

Unde sic ratiocinari licet: Ecclesia nec explicite nec implicite approbat ea quæ sunt contra fidem vel bonos mores: attamen dicendum foret Ecclesiam aliquando ea approbare quæ sunt contra fidem vel bonos mores, si lex divina omne lucrum ex mutuo non prohiberet; nam, per multa sæcula, nemine diffidente, omnes professores in scholis, doctores in scriptis suis, sacerdotes ministerium sacrum exercentes, omnes divini verbi præcones, omnes episcopi et prælati in Ritualibus et in responsionibus ad consultationes, hanc unanimiter tenuerunt doctrinam illamque velut Ecclesiæ doctrinam fortiter propugnaverunt; millies definierunt eos qui lucrum ex mutuo perceperant ad restitutionem sub denegatione absolutionis etiam in articulo mortis adigendos esse: ergo dicendum foret Ecclesiam docentem in errorem turpissimum impiegisse circa fidem et mores: porro nullus est catholicus qui talem sequelam non exhorrescat: ergo firmiter tenendum est existere legem divinam quæ omne lucrum ex mutuo vi mutui perceptum prohibet, quidquid mundus obsecratus et cupiditate abreptus dicat. Itaque etiamsi motiva divinæ illius legis sola ratione advertere non possemus, nihilominus omnem usuram jure naturali illicitam et injustam pronuntiare deberemus, cum lex divina eam ut in se malam exhibeat. Ergo.

SEXTO.—*Argumenta ex ratione petita.*

Ipsa ratio legitima nobis ostendit divinæ legis motiva, validaque adversus usuram nobis subministrat argumenta.

Omnis usura legitimate prohibetur, si revera in se mala sit: atqui res ita se habet; mala est enim in se, si nullus

existere possit titulus ad luerum ex mutuo vi mutui percipiendum : atqui nullus est hujusmodi titulus. Lucrum enim ex mutuo percipi non potest 1º tanquam pretium rei mutuatae ; res enim mutuata non pluris valet quam ipsa quae integra reddi debet, v. g., viginti fr. valent viginti fr., unus modius frumenti valet tantum uno modio, ex hypothesi quod pretium extrinsecum non creverit. Etenim res mutuata per se non est fructifera, sicut arbor vel ager, nec ideo est lucri causa : totum lucrum ex industria mutuatarii venit ; et hoc verum est etiam respectu pecuniae, quae inerum est instrumentum quo fiunt permutationes, industria exerceatur et datur occasio faciendi lucrum. Ergo res mutuata non habet pretium a se distinctum, et sufficit ut ipsa reddatur. Ergo 1º. 2º Non tanquam pretium usus rei mutuatae ; cum enim res usu sit fungibilis, usus ab ipsa non distinguitur : unde ridiculus haberetur qui panem, v. g., alteri praestando sic stipularetur : eamdem panis quantitatem et qualitatem mihi redde, et insuper tot asses pro usu mihi solves. Idem autem dicendum est de pecunia et aliis rebus quae usu consumuntur. Ergo 2º. 3º Non tanquam compensatio pro rei absentia, siquidem mutuarius pericula in se suscipit, et mutuans supponitur aliunde nullum ex tali absentia pati damnum. 4º Non tanquam pretium actionis mutuandi ; illa enim actio in se sumpta nullius est valoris, est transitoria, mutuanti non gravis, ut supponitur, alteri vero utilis : verum hujusmodi actio non est pretio aestimabilis ex parte agentis ; non magis enim pretium pro illa exigere potest, quam ad viam iter facienti indicandam. 5º Non propter utilitatem quam mutuarius ex mutuo percipit : cum enim periculum rei in se suscipiat, illius fit dominus et tenetur tantum ad reddendam rem similem. Advertimus supra fructus non nisi ex ejus industria procedere, proinde suos esse ; et revera, nemo etiam usurarius unquam dixit lucrum majori vel minori mutuarii utilitati mensurari debere, et cum ea crescere vel minui. Ergo, etc.

Et vero, si in contractibus plus dare liceat quam accipitur, nunquam licet plus exigere quam datur ; at si mu-

tuans aliquid supra sortem postulet, plus exigit quam dat ; dat enim centum, v. g., ut centum et quinque obtineat. Ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º Christus, Matth. xxv, 27, servo pigritanti dicit : *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego receperissim utique quod meum est cum usura : ergo Christus usuram non reprobavit, illam e contra commendavit.*

R. Nego conseq. Christus enim hoc instituit argumentum ad hominem ; servus piger ausus fuerat domino dicere : *Scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti.* Statim respondit dominus, ut habetur Luc. xix, 22 : *De ore tuo te judico, serve nequam ; sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui... quare non dedisti pecuniam meam ad mensam ?* Porro tantis per attendenti patet Christum hoc argumento usuram non approbare, sed tantummodo pigrum servum ex malis principiis ejus condemnare ; si enim servus ille persuasum haberet dominum esse durum, et suum cum usura exigere, utique pecuniam abscondere non debuerat, sed illam potius ad mensam dare ut obtineret unde solveret : ergo male se excusabat. Nihil aliud ostendere voluit Christus.

Insuper parabolæ ultra genuinum sensum urgeri non debent : sensus autem hujus parabolæ est, quod in bonis spiritualibus semper crescere debeamus, ut dignos gratia fructus Deo rependere valeamus.

Obj. 2º. Qui mutuum praestat, cedit quod non debet : atqui cessio ista est pretio aestimabilis : ergo aliquid pro illa stipulari licet.

R. 1º. Haec et omnes aliae objectiones ex jure naturali petitæ, unica et brevi solvi possunt responsione : Quod Deus prohibuit ut iniquum, revera tale est, quidquid ratio dicat ; verum, ex probatis, Deus omne lucrum ex mutuo vi mutui prohibuit ut iniquum : ergo.

R. 2º. Nego min. Nam illa cessio in se sumpta est duntaxat officium charitatis, vel actus benevolentiae : ergo pretio aestimari nequit.

Obj. 3º Aliquid stipulari licet pro locatione domus, pro pecunia ad ostensionem commodata. Ita usuræ defensores apud *S. Thom.*, q. 78, art. 1, ad 6: ergo et pro mutuo.

R. Nego conseq. et paritatem; plures enim sunt disparitatis rationes, nempe 1º in locatione, usus rei a proprietate distinguitur et solus transfertur: proprietas vero seu substantia rei locatæ semper ad locatorem pertinet; in mutuo autem res ipsa ad mutuatarium necessario transmittitur; unde locatarius re aliena utitur, et mutuarius re sua. 2º Cum in locatione dominium non transferatur, si res modo sensibili vel insensibili deterior fiat, si vitio aut casu fortuito pereat, domino perit vel decrescit: in mutuo autem hæc omnia mutuarii detimento eveniunt; quidquid enim accidat, integrum sortem reddere tenetur. Ergo. Ita *Domat.*, lib. 1, tit. 6. 3º Lex divina prohibuit lucrum ex mutuo perceptum, non vero locationis pretium. Ergo quamvis pro re locata pretium exigere liceat, non sequitur, etc.

Inst. Pecunia usu non consumitur, saltem in manu dñitum qui ex ea res æquivalentes et majores divitias sibi procurant; ergo, etc.

R. Nego ant. Pecunia enim 1º etiam a divitibus pro re æquivalente data, ipsis moraliter perit; ad eos quippe nullatenus jam pertinet. 2º Similiter si dives nullum percipiat lucrum ex pecunia mutuata, si illam casu vel aliter perdat; eam enim cum *interesse* stipulatis reddere tenetur. 3º Pecunia ex se sterilis est; fructus proveniunt ex industria mutuarii, ad ipsum solum pertinent, et ipsi pecuniam adhibitam ac, suo modo, consumptam fuisse supponunt.

Obj. 4º. Divites et negotiatorib[us] libenter in mutuo aliquid solvunt: ergo nulla ipsis fit injuria, ac proinde contractus ille est licitus.

R. 1º. Etiamsi nulla divitibus et negotiatoribus fieret injuria proprie dicta, non sequeretur talem contractum esse licitum, siquidem Deus, ut vidimus, illum stricte prohibuit.

R. 2º. Dist. ant. Divites libenter in mutuo aliquid su-

pra sortem solvunt, tanquam debitum, *conc.*; ut gratuito donatum, *nego*. Etenim, ut mutuum facilius obtineant, libenter aliquid supra sortem solvunt, sed nullus arbitratur se gratuitum concedere donum: intendit solvere debitum. Porro, in ea hypothesi, mutuans nullum habet titulum ad percipiendum ac retinendum illud auctarium. Ergo sit injuria etiam divitibus et negotiatoribus. Essentia usuræ in eo consistit ut aliquid ratione mutui, absque titulo extrinseco, percipiatur tanquam debitum, quæcumque sit mutuarii conditio, industria, lucrum, etc.

Quod vero ex vera liberalitate datur, tuta conscientia retineri potest, ut dicemus infra ubi de *donatione gratuita*: sed tunc nullum intervenire debet pactum, sive explicitum, sive implicitum.

Quo sensu quidam auctores hunc consensum omnium et hanc mutuam condonationem intelligent ipsisque vim tribuant, infra dicemus, ubi de *titulo legis civilis*; sed etiam, juxta illos, talis est hic consensus ut efficiat titulum vere extrinsecum. Nos autem eum non admittendum esse judicamus.

Inst. Sæpe mutuarius ingens lucrum ex pecunia mutuo accepta consequitur: atqui nulla est injustitia si mutuans partem hujus lucri, mediante sua pecunia percepti, exigit: ergo.

R. Nego min. Mutuans enim partem hujusmodi lucri exigere non potest, si nullum jus ad illud habeat: atqui mutuans nullum jus ad prædictum lucrum habet; nam 1º Benedictus XIV, in sua constitutione *Vix pervenit*, expresse hoc declarat, ut vidimus, p. 412; 2º res mutuo data vi mutui in dominium mutuarii transmittitur, ut supra diximus: ergo mutuario et non mutuanti fructificare debet; 3º valor alicujus rei nunquam ex parte accipientis pensari debet, sed ex parte illam tradentis, v. g., nunquam licet rem pluris vendere propter lucrum quod emptor ex illa vel occasione illius, mediante sua industria, percepturus est, ut omnes fatentur: ergo *a pari* non licet lucrum ex mutuo exigere propter utilitatem quam mutuarius inde percipit; sufficit vero, ut æqualitas servetur,

quod mutuum tempore dicto reddatur et cuncta compensentur damna.

Ruit itaque sistema D. *La Forêt*, qui contendit lucrum adveniens sufficientem esse titulum ad aliquid supra sortem in mutuo exigendum; principium enim istud opponitur non solum rationibus hic expositis, sed omnibus fere auctoritatibus quibus dogma Ecclesiæ circa usuram vindicavimus. Ergo.

Obj. 5°. Multi sunt, ut viduae, domestici, etc., qui fructus ex pecunia sua aliter quam per mutuum percipere non possunt: atqui tamen illorum valde interest ut pecunia apud ipsos otiosa non maneat: ergo.

R. Nego conseq. Nam simili argumento turpissimæ artes probarentur licita, siquidem multi semper dicere possent se alio modo fructus ex pecunia sua obtinere non posse, se aliter vivere non posse: *Hoc et mihi latro diceret*, inquit S. Aug. in Ps. CXXVIII, n. 6: ergo necessitas mutuantis non potest legitimus esse titulus quo aliquid ex mutuo exigatur.

Obj. 6°. Si omnis usura prohibeatur, commercium necessario languescat, et societas magnum inde patietur detrimentum. Ergo. Sic *Turgot*, *Condillac*, et communiter temporis nostri homines.

R. 1°. Qui divortium legitimum et societati utile probare intendunt, sua etiam deducunt argumenta ex gravibus incommodis et scandalis, quæ necessario sequentur, si illud in omnibus casibus stricte prohibeatur: attamen, non obstantibus incommodis et scandalis, divortium in universis casibus prohibitum docemus, quia Deus sic iubet: ergo *a pari*, quidquid opponatur, tenendum est usuram esse malam et injustam, cum Deus eam ut tales prohibeat. Præcipuum enim bonum societatis in eo consistit, ut mandata Dei fideliter serventur: unde Benedictus XIV, in Ep. encyc., n. 4: « *Absit e Christianorum animis ut per usuras aut similes alienas injurias florere posse lucrosa commercia existiment, cum contra, ex ipso oraculo divino, discamus quod justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum.* »

R. 2°. Nego ant. Nam 1° omni usura prohibita, qui pecunias habent, eas ad censum consignativum (*à rente constituée*) dabunt, societas commercii inibunt, aliquod per seipsos exercebunt negotium, vel alias querent vias legitimum faciendi lucrum, sieque major erit æmulatio, nedum commercium languescat. 2° Sæpe justa percipere poterunt *interesse ex pecuniis mutuo datis*, ob titulos extrinsecos frequenter existentes, ut infra ostendemus. 3° Bonum societatis non pensandum est ex solis materialibus commodis, sed multo magis ex omnium cupiditatum frenatione et virtutum universalitate ac firmitate. Porro nimia negotiorum temporalium extensio habenas cupiditatibus laxat, et, eo ipso, plerasque virtutes labefactat.

Ad bonum societatis magni refert, ut ipsius membra non maneant otiosa et inertia: at magna facilitas lucrum ex pecuniis mutuo datis obtinendi in causa est cur multi, quolibet labore postposito, solam exercent artem feneratitudinam. Modo habeant pignus sufficiens, cautionem tutam vel hypothecam certam, tranquille sedent ad focum, manducant, bibunt, deambulant, ludunt, dormiunt, otiosissimam ducent vitam, et *segnities* eorum, ut ait *Plinius*, est *quæstuousa*: nec aeris intemperiem, nec agrorum sterilitatem, nec flamarum incendium, nec hostium incursum, nec ouerum publicorum augmentum, nec commercii cessationem vel imminutionem, nec quidquam aliud timent; calamitates eos attingere nequeunt.

Unde *Bacon* aiebat quod, si usura penitus extirpari nequeat, saltem illius dentes limandi sint ut minus mordeat.

Et auctor notissimi libri cui titulus: *L'ami des Hommes* (*Mirabeau*), ait, t. 2, c. 8: « J'ai enfin reconnu qu'indépendamment de l'autorité de la religion, les opinions de l'école s'accordaient à cet égard avec la droite raison et la saine morale, et qu'il en est du précepte qui défend l'intérêt du prêt à jour, comme de tous les autres, dont l'observation, loin d'être nuisible à l'industrie, au commerce et à tout ce qui peut concourir au bonheur de l'homme ici-bas, serait le plus sûr moyen de les faire fleurir. »

Conventus nationalis, anno 1789, omnem sustulit usuræ prohibitionem; hæc dispositio fuit renovata in Codice civili, art. 1805. Libera enim pro mutuo permittebatur usuræ stipulatio; sed tanta inde mox prodierunt mala, ut ex diversis regni urbibus conclamatum sit, et plurima commercii tribunalia unanimi ore postulaverint ut lex illa saltem reformaretur, et determinaretur pretium ultra quod nihil ex mutuo stipulari licet. Citantur inter alia tribunalia, Cenomanense, Honflioriente, Catalaunense, Rhemensse, etc. Vide opus gallicum: *Considération sur le prêt à intérêt, par un Jurisconsulte.* Paris, 1806, note E, p. 20. Ut his reclamatioibus satisficeret, nova prodiit lex, die 3 sept. 1817 (*Bulletin des lois*, n. 2740), qua prohibetur stipulatio lucri ex mutuo ultra quinque pro centum in materia civili et sex in materia commercii, siveque dentes usuræ limantur, ne tam mordeat: multo sapientior est igitur lex divina quæ cruentam illam bestiam penitus enecat.

Plures graves auctores arbitrantur in statu rerum actuali adesse sufficietes rationes ut lex civilis dominium *interesse transferre* valeat et reipsa transferat. Sed etiam hæc sententia, quam infra expendemus et quæ non est nostra, thesim a nobis positam non impugnat, siquidem et ipsi satentur lucrum ex mutuo percipi non posse *vi mutui*, sed tantum ex titulo extrinseco, scilicet titulo legis civilis quem ut validum habent.

Obj. 7°. Pecunia præsens pretiosior est pecunia numeranda et absente: ergo qui dat mutuum semper damnum patitur et aliquid pro eo exigere potest.

R. Dist. ant. Pecunia præsens pretiosior est pecunia numeranda et absente, respectu illius qui negotiari vel aliquam solutionem facere intendit, *conc.*; respectu illius qui eam in area sua relinqueret otiosam, *nego ant.* Evidem, in priori sensu, pecunia præsens est pretiosior: nulla igitur est difficultas, et tunc aliquid supra sortem exigere licet, ut brevi dicturi sumus. Sed reipsa, in posteriori sensu, non est pretiosior; nam mutuans æquale ac integrum suscipiet mutuum; interea, ut supponitur, nullum perceperisset fructum, nec ullum patitur damnum: ergo, res-

pectu illius, pecunia præsens non est pretiosior quam pecunia absens.

Unde Innocentius XI sequentem damnavit propositionem: « Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, » et nullus sit qui non pluris faciat pecuniam præsentem » quam futuram, creditor potest aliquid supra sortem exigere a mutuatario, et eo titulo ab usura excusari. »

Ex hoc usque dictis plura gravis momenti sunt notanda.

1º Ad fidem accedit usuram, qualē eam definitivus, sive a paupere, sive a divite percipiatur, justitiae commutativæ esse oppositam et jure divino prohibitam. Ulterius progreditur Bossuet, ut supra notavimus, dicens, t. 30, p. 676: « La doctrine qui dit que l'usure, selon la notion » qui en a été donnée, est défendue dans la loi nouvelle » à tous les hommes, envers tous les hommes, est de foi. La » raison est qu'elle est fondée sur l'esprit de la loi nouvelle » reconnue par tous les chrétiens, et sur les passages formels de l'Ecriture entendue en ce sens unanimement » par tous les Pères et par toute la tradition, ce qui est la » vraie règle de la foi reconnue dans le concile de Trente. »

2º Illicitum et injustum est lucrum vi rationis mutuo intrinsecæ perceptum, sicut lucrum quod vi ipsius mutui perciperetur; alioquin lex divina usuram prohibens esset prorsus illusoria, siquidem semper adeset titulus mutuo annexus et aliquid supra sortem exigere permittens. Hinc nihil exigi potest pro labore ordinario in pecunia numeranda, pro periculo sortis communī, pro absentia pecuniæ, etc.

Il faut, avant toutes choses, inquit Bossuet, t. XXX, p. 691, bien entendre ce que Dieu défend, et comment sa sainte loi a été entendue par les saints Pères. Car c'est la règle de la foi. Cela étant bien entendu, il faut dire que tout ce qui, dans le fond, fera tout l'effet de la chose que Dieu défend, sera également défendu, de quelque nom qu'on le nomme; parce que le dessein de Dieu n'est pas de défendre ou des mots ou des tours d'esprit et de vaines subtilités, mais le fond des choses... Toutes les fois (p. 697) que nous trouverons qu'en permettant un

» certain profit de l'argent, la loi de Dieu sera éludée et ne subsistera plus qu'en paroles, nous devons tenir ce profit comme enfermé dans la défense divine. »

3º Cum usura in se mala sit, mutuum petere non licet ab eo qui prævidetur non datus sine lucro usurario, nisi causa gravis excusat : id sequitur ex principiis circa co-operationem admissis. *A fortiori* non licet aliquem ad mutuum sub usura præstandum inducere, quia illicitum est alterum inducere in peccatum vel in peccatum ejus contineare.

Contra vero, si mutuans sufficientem habeat titulum ad aliquid supra sortem exigendum, mutuum ab illo, etiam absque causa, petere licet ; non peccat enim sic mutuando ; ergo nec qui petit, accipit ac suadet.

Quando sufficiens adest causa, licet mutuum ab eo petere qui prævidetur illud non datus absque usura sine titulo percepta : hoc sequitur etiam ex dictis ubi de co-operatione in Tractatu de Conscientia.

Nunc queritur qualis hæc causa esse debeat ut sit legitima.

R. Necessitas prædium vendendi, periculum commercium notabiliter minuendi, a decentia status decidendi, est, juxta omnes, ratio sufficiens cur mutuum ab usurario petere licet ; mutuarius enim notabilem damnum pati non tenetur ad peccatum mutuantis præcavendum. Mortaliter vero peccaret qui mutuum ad ebrietates, comessationes aut ludos peteret.

Plures theologi dicunt illum qui petit mutuum ad opes augendas vel ad lucrum faciendum, non peccare, quia, inquiunt, gravis et honesta existit ratio ponendi causam in se bonam, unde alias ex sua sola mala dispositione peccat. Ita ferme *Sylvius* cum pluribus, q. 78, art. 4, et *Biluairet*. Alii probabilius docent tunc esse peccatum quia repugnat aliquem posse, tuta conscientia, materiam vel occasionem peccati proximo præbere, ea ratione ut lucrum faciat. Sic P. *Antoine*, *Coll. Andeg.*, *Collet*, aestimantes hoc peccatum esse mortale. In ea tamen opinione sæpe fieri potest causam non esse sufficientem ut a peccato

omnino excusat, sed a mortali excusare : id judicandum est ex circumstantiis.

SECTIO SECUNDA.— De obligatione restituendi ratione usurae.

In tribus classibus facile comprehenduntur hi omnes qui ratione usurae ad restitutionem teneri possunt : in prima ponitur ipse usurarius ; in secunda ipsius lāredes et ab eo causam habentes : in tertia ad usuram cooperantes. De his in triplici paragraphe dicemus.

§ I.— An usurarius restituere tenetur.

Duplex distinguitur usurarius, mentalis et realis. Usurarius *mentalis* ille est qui aliquid ex mutuo tanquam debitum desiderat, sperat, intendit, sine ullo pacto externo quod usuram continet ; ille vero dicitur usurarius *realis*, qui aliquid ex mutuo vi mutui revera accipit.

1º Certum est usurarium mentalem, qui nihil accepit, ad restitutionem non teneri ; nec enim rem alienam possidet, nec damni injusti fuit causa efficax.

2º Non minus certum est illum ad restitutionem non teneri, quamvis aliquid supra sortem cum affectu usurario acceperit, qui sufficientem tunc reipsa habuit titulum ; in hac enim hypothesi damnum mutuatario non intulit, ut patet. Hæc decisio est contra *Collet*, *Th. Cen.* et plures alios. Item, si mente usuraria aliquid tanquam ex mutuo debitum acciperet, et mutuarius proprio motu hoc illi donaret, graviter quidem corum Deo peccaret, sed ad restitutionem non teneretur. Si vero dubitet quo motivo auctarium istud a mutuatario sibi tribuatur, illud accipere non potest ; nam in dubio possessionem alicujus rei percipere non licet : vera igitur donatoris intentio querenda est.

De solo reali usurario nunc agitur.

PROPOSITIO.

Usurarius realis omnes quas percepit usuras restituere tenetur.

Prob. Omnes quas percepit usuras restituere tenetur, si illarum dominium non acquirat ; atqui usurarius non ac-